

is, quæ in ipsum collata fuerunt, excidet, tum de cætero inter condemnatos habebitur, indignus nostro visus iudicio.

CAP. XI.

Adulteria ¹⁷ vero et raptus virginum, et immoderatas illicitasque ¹⁸, et augendæ rei suæ causa comparatas circumscriptiones, neque non homicidia, et si quid ejusmodi delictorum est, ita acerbè punito, ut paucorum hominum supplicio omnes reliquos continue castiges, estoque secundum legem exquisitus delinquentium castigato, neque enim inhumanitas hoc, sed potius summa quædam humanitas est, cum multi paucorum animadversione salvantur. Quod si quem hoc nomine in crimen vocatum sustineat, qui vel cinguli, vel dignitatis, vel sacerdotii, vel ejusmodi alio prætextu speret ex illius se manibus ereptum iri: certo sciat quod nostro iudicio indignus videbitur. Nemo enim quacunque potentia sua fretus, quodcumque alienum præterdendū patrociniū ¹⁹ in talibus delictis severitatem legis effugiet. Quin potius si quis talibus se patrociniis ausus fuerit immittere, similem cum delinquente penam, et ipse sustinebit: idem cum sit, ipsum aliquem delinquere, et eum qui talia peccavit et deliquit, velle de manu legis eripere ²⁰. — § 1. Subjicietur autem legi et descriptio, quæ significet, quid ipsum, cosve quæ circa ipsum sunt, e publico capere: quid item vel occasione codicillorum dare, vel sacratissimæ Augustæ conjugis nostræ piæ domui inferre conveniat: trifariam videlicet inferendis *is quinqueaginta libris auri*, prout jam inde ab initio et in hunc usque diem obtinuit. — § 2. Et subditis nostris (id quod saepe diximus) pure utetur; quæ res summo a nobis studio habita effectit, ut magnas etiam opes desuperemus, quamquam in tot sumptibus et magnis bellis, per quæ Deus nobis dedit, ut non solum pacem ad finem deduxerimus, et Vandalos, Alanos, Mauritanos subegerimus, et totam Africam, insuper et Siciliam recuperaverimus: sed et bonam spem habeamus, quod Deus nobis annuet, ut et cæteras gentes quas sociordia sua Romani amiserunt, cum ad utriusque Oceani terminos tenerent, iterum ditiori nostræ adjungamus, quas nos divino freti auxilio, ad meliorem statum redigere properamus: neque quidquam detrectamus eorum quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem: vigiliis simul, et inediis, cæterisque laboribus, jugiter pro subditis nostris, ultra quam humanæ naturæ modus patitur, utentes. Perleget etiam mandata nostra, quæ illi dabimus una cum codicillis magistratus, quemadmodum ante diximus. Et si quidem omnia secundum illa peregerit: et admirabilis futurus est, et undique dignum se nostro exhibebit imperio.

EPILOGUS.

Hæc igitur omnia quæ per hanc exprimuntur legem cognoscens excellentia tua, et prædictas annonas hujus officii throno præbeto: et ita ipsum scito amplum effectum, ut collati modo in ipsum floris et dignitatis cupiditate, multi merito hunc consequi affectent.

TIT. X.

DE DESCRIPTIONE QUATUOR PRÆSIDUM ARMENIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXXI.

Imp. Justin. August. Joanni gloriosissimorum sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Perperam effuseque posita, si ad competentem perveniant ordinem, et belle disponantur: alia propemodum res apparent speciose pro turpibus, ornate pro incultis, articulata distinctaque pro incompeditis prius et confusis. Quod cum et in Armenia admissum deprehenderimus, putavimus et ipsam ad congruentiam quandam et unam harmoniam collocari debere: quo magis ex bene constituta ejus moderatione et competens illi robor addamus, et decentem imponamus ordinem.

CAP. I.

Unde quatuor Armenias fecimus: unam quidem interiorem, cujus metropolis piæ appellationis nostræ cognomine exornata est, prius Bazaris seu Leontopolis dicta, quam etiam proconsulatu honoravimus, cui magnificentissimus vir Acatus præfuit, magistratu inter spectabiles relato, omnibusque illi traditis, quæ proconsulatum habere convenit. Nam et stola ipsum adornavimus proconsulari, quæque ad istas res pertinent, ea ut habeat, constituimus, et urbes illi assignavimus, Theodosiopolim, quam etiam prius habuit: Satalam, et Nicopolim Colonea

17. L. ult. d. de offic. præsid. — 18. L. 6. pr. D. d. t. — 19. d. l. 6. § 2; adde tit. C. de hæc. potest. iud. patrocini. — 20. Fac. tit. D. de quis eum, qui in jus vocabatur. Edict. Justin.

quoque ex prima (ut ante vocabatur) Armenia assumpta: item Trapezunte, et Cerasunte ex Polemoniaco prius dicto Ponto: his partim a clarissimo provincie præside: partim a spectabili moderatore separatis: in septem omnino urbes, et quæcumque circa ipsas in proximo sunt loca, tota provincia redacta. — § 1. Secundum vero ordinem tenere jussimus Armeniam quæ ante prima dicebatur, in qua cæteras præcedit Sebastea urbs, attributa illi, et Sebastopoli, quam prius quoque habuit, et insuper Comana ex Polemoniaco prius Ponto dicto: et Zela ex Helenoponto: neque non Brisa: ut ea provincia quinque continetur urbibus, officio quod correctorium est, in pristina forma relicto, neque præside ejus majore aliquo nomine condecorato, sed ipso in eodem quod prius habuit, derelicto. — § 2. Ad hæc tertiam Armeniam instituvimus, eam quæ prius secunda dicebatur, in qua principatum tenet Melitena urbs insignis, in pulchro solo, elementique cælo posita, neque multum distans a fluentis Euphratis fluvii. Hanc nos in presentia et augendam, et ad formam spectabilium traducendam putavimus. Præsidem quoque hujus comitem Justinianum nominandum, dansque ipsi pro annonis solidos decem, ejus adessori solidos LXXI; et cohorti ejus solidos CCLXX; et ut omnia habeant quæ ejusmodi thronorum propria sunt. Et qui prius cohortales nominabantur, tum omnia faciant quæ etiam prius, et maxime circa publicam executionem occupentur: tum ad comitiorum appellationem transeant, perinde omnibus eis conservatis ac si cohortales existerent. Urbes vero ei partim Arcam et Arabissum, partim Ariaratheam, et alteram Comanam (quam etiam Chrusam appellant) et Cucusum subdividimus, quas et prius habebat e sex omnimodo consistens urbibus. — § 3. Constituvimus autem et quartam Armeniam, quæ prius non in forma provincie continebatur, sed e gentibus erat et ex multis barbaricis colligebatur nominibus, Trophaena, Anzethena, Ophena, Asteanea, Balabithenæque dicta, et Satrapis subdita. Id vero nomen magistratus neque romanum, neque majorum nostrorum, sed ex altero imperio introductum fuit: exornavimus igitur et illam civili magistratu et forma tam civili ibi magistratu instituto, quam Martyropolitiorum illi urbe, et Cithariza castro addito. Consistatque ipsa in forma ordinariorum magistratuum consularis a nobis facta: ut cum quatuor sint Armeniæ, duo quidem magistratus existant spectabiles, nempe alter proconsul, alter comes: et primæ quidem Armeniæ proconsul, tertiæ comes præeat: secunde vero et quartæ ordinarii. Et quia summo a nobis studio cautum est, ut appellationes intra quingentorum solidorum quantitatem non ad hanc aliam deferantur urbem, sed ad proximos spectabiles magistratus: propterea disponimus, ut appellationes quæ quidem ex secunda Armenia procedunt, hoc est, in qua Sebastea urbs est, hæc ad Armeniam primæ præsidem, hoc est, proconsulem, deferantur: quæ vero ex quarta moventur Armenia, hæc intra dictam quantitatem ad tertiæ Armeniæ comitem: qui nempe Melitena residet, deveniant.

CAP. II.

His ita a nobis ordinatis, insuper illud etiam determinare justum putamus, ut primæ Armeniæ talis vir præficiatur, qui pro amplitudine sua, et spectatissimo jam erga nos ministerio, magistratus hujus tam juramento, quam excellenti majestate dignus sit. At cum Thomam magnificentissimum virum aliquod jam in Armeniorum regione officii defunctum, et alioqui fregi hominem esse, et nobis absque fuce semper inservisse, et modo quoque inservire deprehenderimus, promovemus ipsum ad hujus officii administrationem, ut non solum prædicta a nobis forma ad tempus huic provincie præsideat, sed etiam aliis provideat, quæcumque ei vel per sacra commonitoria commissimus, sive in provincia quam ei tradidimus, sive in aliis: quod, inquam, fecimus, sacris ad ipsum compositis commonitoriis de multis, et diversis actibus quos ipsum et in aliis regionibus ad effectum deducere æquum est. — § 1. Quæ vero ad sacerdotia spectant, ea (ut saepe diximus) volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa jus metropolitium, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem suscipiente: sed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, et prioribus item metropolitans in suo permanentibus ordine: ut quantum ad ipsa nihil penitus innovetur.

CAP. III.

Illud sane in confesso est, ex quo tertiæ Armeniæ comitem non tantum civilem, sed etiam militare magistratum fecimus: necesse habere etiam milites qui in ea stationes agunt, ut huic suppositi sint: licentia illi præbita, ut (quemadmodum militariibus permittitur magistratibus) et nomine quemque suo evocet, et inquirat, et de ipsorum annonis dis-

13. e. 10. in fin. — Tr. X. — 1. L. ult. C. de offic. magist. milit.

precipiat, et supplicio eos persequatur, si quando injuste egerint: neque committat ut milites in subditos nostros injurii sint. Quod si quid flagitiosius perpetrent, ad instar criminalium causarum audientiam præbeat, tametsi milites existant, omnia denique agat, quæcumque militariibus attributa sint magistratibus. Et quemadmodum comiti Isauriæ et Pacatianæ Phrygiæ, et insuper Lycaoniæ, Pisidiæ, ac Thraciæ, prætoribus militares etiam copias subdividimus: ut æque et ipse non solum ad res civiles cohortem, sed etiam in copias militum potestatem habeat et imperium, et cum summa auctoritate et amplitudine tam militibus quam paganis faciendæ præcipiat, omnia agens quasi uno aliquo officio existentē. Inque unam hanc rem providentiam conferat, ne quid per provinciam admittatur flagitii, sed et ut admissum competenter coerceat. Neque hanc illi potestatem in ulla omnino persona, quæ in provincia sit, detrahimus, sive paganica, sive militaris, sive tamiaca sit: sub æquabili enim et perpetua pace nostros tueri subditos volumus, non pro diversitate personarum inducentes legum contemptum.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, ea secundum descriptionem quatuor Armeniarum, et maxime tertiæ, cujus occasione presentem sacram legem tulimus, jam inde in omne præteritum tempus excellentiam tuam custodire studeto: omnibus quæ singulis anni dari jussimus, per particulares descriptiones thronorum tuorum conficiendis.

TIT. XI.

NE' QUIS MUTUUM DANS AGRICOLÆ, TERRAM EJUS TENEA, ITEM QUAM MAGNAS USURAS CREDITORES AB AGRICOLIS DEBEANT PERCIPIERE.

NOVELLA CONSTIT. XXXII.

Imperator Justinianus Augustus Agerochio clarissimo præsidi Æmi montis Thraciæ.

PREFATIO.

Rem duram, et quæ omnem longe impietatem et avaritiam superat, communi lege quasi medicina quadam curare nobis visum est, quæ non in presentia tantum necessitate, sed per omne deinceps ævum suo in rebus munere defungi queat: comperimus enim nonnullos in provincia, cui præses, non dubitasse captato ad hoc de industria sterilitatis frumentariæ tempore, sub modica admodum mensura frugum mutui cum aliquibus contractum celebrare, et ex eo universam illorum terram ad se recipere: ut plerique ea occasione rusticorum diffugerint, plerique etiam fame perierint, et tetra quædam lues ac contagio exorta sit, in nullo pene barbarica incursione inferior.

CAP. I.

Sancimus igitur, ut quicumque agricolis quantamcumque mensuram quorumcumque aridorum fructuum crediderint, si ab his receperint, citra ullam exceptionem hæc illis restituant, nemine prorsus audente per causam prædictorum mutuatorum, sive scriptura interveniente, sive sine scripto celebrata sint, terram pene se detinere, octavam duntaxat modii partem in singulos modios per integrum annum usurarum nomine ferentes, si fruges mutuo datæ erunt: si vero pecunia numerata, in singulos solidos singulas annuas siliquas. Cæterum de reliquo contenti creditores octava modii parte in singulos modios per annum, aut quantumcumque manet, proportionem crediti, aut siliqua: omnino restituant, sive terram, sive aliud quiddam, boves forte aut oves, aut mancipia, pignori ceperint. Atque hæc lex omnibus humanitatis et pietatis de se specimen præbeat, et tam egenorum necessitati medeatur, quam creditoribus nonnihil afferat solatii.

EPILOGUS.

Quæ itaque nobis placuerunt, ea claritas tua effectui finique tradere studeto, scituro creditore, quod si hæc contra facere aliquid ausit, exactione cadet; et qui mutuum accepit, quive injuriam perdidit, ex eo solatium habebit, quod tum ipse a facessendo negotio liberatus sit, tum creditorem in rebus suis jacturam pati videat. — Dat. 18 kalend. Jul. Constantinop., BELIS. V. C. consulat.

2. N. 27. — 3. N. 8. c. 2. — 4. N. 23. — 5. N. 24. — 6. N. 26. — Tr. XI. — 1. N. 54. — 2. N. Leca. 83. in fin.

TIT. XII.

DE HIS QUI MUTUUM DANT AGRICOLIS.

NOVELLA CONSTIT. XXXIII.

Imp. Justinianus Augustus Dominico præfecto prætorio per Illyricum.

Propter avaritiam creditorum qui angustia temporum abutentes, terrulas infelicium agrestium sibi adquirunt, pro paucis frumento omnem illorum substantiam retinentes, legem posuimus, quam primo quidem in Thraciam, et in omnes ejus provincias, in presentia autem et in Illyricanas provincias direximus. Cujus exemplum subdi etiam presentia legi præcepimus, ut non solummodo privati homines putent legem contra se esse propositam, sed etiam milites altiore nitentes fastigio, legem contra se esse prolata existiment. Ut ergo et tua magnitudo sciat, quod communis hæc lex posita est, et provincialibus et militibus, et omni cingulo nulla excusatione cuiquam competente, ideo ad tuam sublimitatem presentem legem destinavimus, scituris militibus, qui presentia legi non esse obediendum existimant, quod cingulo denudati inter privatos habeantur, penam quas in anteriori lege posuimus, prius nihilominus subjungendi.

TIT. XIII.

NE' QUIS QUOD AGRICOLÆ MUTUAM PECUNIAM DEDIT, ILLIUS TERRAM DETINEAT, ET QUÆM USURARUM MODUM CREDITORES ACCIPERE DEBEANT AB AGRICOLIS.

NOVELLA CONSTIT. XXXIV.

Idem August. Agerochio clariss. præsidi Æmi montis in Thracia.

PREFATIO.

Rem duram atque inhumanam, et quæ ultra omnem impietatem et avaritiam sit, perspeximus lege saluberrima sanare, et communem omnibus deponere medicinam, non tantum in presentis necessitatis tempore, sed etiam in omni ævo futuro. Venit enim ad nostras aures, quosdam in ea ipsa provincia quam tu administras, avare temporum necessitate captata, fœneratorios fecisse contractus, et paucam mensuram dantes, terrulas eorum abstraxisse, et ex hac causa quosdam colonorum fugæ latebras petiisse, alios fame esse necatos, et tristissimam pestem homines invasisse, incursione barbarica non minorem.

CAP. I.

Sancimus itaque omnes hujusmodi creditores, quantumcumque vel tritici vel hordei, vel in alia specie quæ in fructibus aridis est, dederint: hoc reddito, in presentia cum parte modii octava per singulos modios in unoquoque anno præstanda, terrulas colonis restituere: nemine penitus eorum audente terrulas detinere sub occasione fœneratiæ cautionis, sive in scriptis, sive sine scriptis credita sint contracta. Sin autem pecunias dedit, nihil amplius quam siliquam unam pro singulo solido annuam præstare. Et hanc saluberrimam legem in omnes extendimus, in presentia quidem tempore initium accipientem, in omne autem ævum modis omnibus observandam, ut si quando fuerit vel triticum, vel hordeum fœneratum, vel alii aridi fructus, creditores tam quod dederunt accipientes, quam pro usuris octavam modii partem annuam pro singulis modis, vel siliquam pro singulo solido, secundum hunc modum in quantum fœnus permanserit, percipientes, sive terrulas sive aliud in pignus acceperunt, boves forte, vel pecora vel mancipia: hæc modis omnibus reddant, et hæc lex communis omnibus sit, humanitate et pietate gaudens, neque non omnibus egenis consulens, creditoribus mediocre solatium afferens.

EPILOGUS.

Hæc igitur, quæ a nobis statuta sunt, charitas tua in omni provincia, quæ tuo moderamine gubernatur, observare festinet. Scituris omnibus creditoribus, quod si aliquid præter hoc commiserint: exactione cadent: et cui fœnus ablatum est, hoc habebit solatium, ut ipse quidem securus degat, avarum autem et creditorem videat in suis pecuniis patientem jacturam.

Tr. XII. — 1. Adde N. 32. supr.; N. 34. inf. — Tr. XIII. — 1. d. N. 52; N. 55. — 2. Authent. ad hæc, c. de usuris.

TIT. XIV.

DE ADJUTORIBUS QUÆSTORIS.

NOVELLA CONSTIT. XXXV.

Hæc prorsus deest in Græc. justam autem epitomen inventi in Novellis Juliani, quam hic adscripsi.

Viginti sex¹ adjutoribus quæstoris, quos boethos dicunt quæstoris, liceat in suo loco alios substituere, idoneos tamen, et quos pro tempore quæstor elegerit, propositis sacris Evangelis. Hi autem qui fiunt in locum eorum qui suo loco ceciderunt, centum solidis præstitis fiant. Istorum autem trium graduum viri, id est, scribæ memoriæ, et duorum qui proximi futuri sunt, quamvis non ex viginti sex adjutoribus, tamen licentiam habeant surrogare in locum suum. Habeant igitur jus vendendi² militiam suam, et non ultra centum solidos, dummodo et is qui subrogatur, electione quæstoris fiat. Prærogativas autem constitutio dat Theodosio, et Epicteto, et Quirillo, et Sabbatio, et Perigeno. Illo videlicet observando, ut si quis ex viginti sex adjutoribus defunctus fuerit, ab herede ejus centum solidi dentur, et electione quæstoris militent. Sin autem liberi sint defuncti, idem juris habeant, quamvis heredes parenti suo non exstiterint³. — Dat. C. Bazis.

TIT. XV.

DE SUCCESSORIÛS EORUM QUI IN AFRICA DEGUNT.

NOVELLA CONSTIT. XXXVI.

Omne infinitum, etc. Ut Afrî ea quæ Vandalorum temporibus vel ipsis, vel propriis parentibus, vel avis utriusque sexus, vel ex transverso cognatis usque ad tertium gradum erepta sunt: intra quinque annorum spatium vindicent, nisi¹ legitimis excludantur præscriptionibus. 2. Ut ad comprobandum genus ambæ² partes probationes proferant. 3. Ut omnes Afrî romanis legibus subditi sint.

TIT. XVI.

DE ECCLESIIS CONSTITUTIS IN AFRICA.

NOVELLA CONSTIT. XXXVII.

Venerabilem ecclesiam, etc. Ab Arianis ablata capiunt, sibi que habent ecclesie Africæ: ut tamen publicas pro illis pensiones¹ conferant, ab iisdem acceptis immobilibus a nemine lædendis. Hæreticus non² baptizato, ad³ republ. non accedito; catechumenum non circumcidito⁴. Nulla omnino hæresis domus⁵ aut locum orationis habeto. Carthaginiensis⁶ ecclesia privilegia obtinet, quæ in universum de omnibus⁷ dicta sunt ecclesiis in Codice. Qui ad Carthaginiensem ecclesiam confugerit, is impunitatem habeto, nisi⁸ homicidium, aut raptum virginis, aut vim in Christianum admiserit. Ecclesiis Africæ ab aliquo pro sua ipsius salute oblata, a nemine prorsus auferantur. Hoc ipse generaliter de omnibus ecclesiis accipito.

TIT. XVII.

DE DECURIONIBUS¹ ET FILIIS EORUM.

NOVELLA CONSTIT. XXXVIII.

Imperator Justin. Aug. Joanni P. P. per Orientem.

PREFATIO.

Qui republicam olim nobis disposuerunt, existimaverunt oportere secundum regie urbis instar adunare in unaquaque civitate nobiles viros, et unicuique senatus dare curiam, per quam debuissent agi, quæ publica sunt, atque omnia fieri secundum ordinem. Sic itaque res floruit, sic fuit

TIT. XIV. — 1. L. 15. l. ult. C. de prox. sac. scrib. — 2. L. ult. C. de pignori. — 3. *Adde* l. 39. § ult. C. de inoffic. testam. ; l. 7. l. 11. C. de prox. sac. scrib. — 4. *Adde* Pragmatic. sanctionem Justiniani, c. 1. 5 et 6. — 5. L. 1. D. de prob. l. 1. c.

TIT. XVI. — 1. *Far.* l. 7. l. 11. C. de sacros. eccles. — 2. L. 14. C. de heret. is. — 3. L. 15. C. de episc. sud. ; l. ult. C. de postulando ; l. 9. C. de divers. offic. — 4. N. Leon. 15 ;

clara, ut magnæ et populosa domus curialium essent, multitudine quidem existente curialium, quod autem functionum videbatur esse onus, nulli omnino intolerabile existebat. Nam quod in multitudinem dividitur, onus insensibile propemodum facit eis, qui hoc sustinent. Quando autem per partes quidem cæperunt se eximere albo curiæ, et occasiones invenire per quas liberi² his efficerentur, sic paulatim diminuta sunt curiæ innumeris excogitatis occasionibus, per quæ potuissent specialia quidem bene habere, communia autem et publica diminui. Propterea ad paucos viros redactæ functiones, et illis facultates commoverunt, et civitates ita diminuta sunt, ut sub istos perditos conductores, quos *vindicet*³ vocant, redacta curia, contigerit respublica. plena quidem defectibus, plena vero omni injustitia fieret. — § 1. Hæc nos sæpe perscrutantes estimavimus oportere medelam rei adhibere, et quantum nos in hoc laboramus, tantum omnem adinvenirentur curiales artem adversus ea quæ recte justique sancita sunt, et contra fiscum. Dum enim vidissent compelli se omnimodo curiæ servare quartam partem, et hoc vix per nostras leges impositum, cæperunt discerpere proprias facultates, quatenus minus idonei deficerent, et non quartam portionem, sed omnem continuo paupertatem suam curiæ derelinquerent. Denique quoniam ipsis corporibus fraudare curiam voluerunt, rem omnium impiam adinvenirent, a nuptiis legitimis abstinere, ut eligerent magis sine filiis, quam sub lege defecere, aut generi suo vel curiæ inutilis apparere. Et rursus egerunt dudum ponti legem, quæ præter decretum jubebat eis donare⁴ propria, cum quandam venditionem cum decreto fieri ad eam lex volebat, sed hæc ipsa erat mirabilis quæ solam venditionem subiciebat adjectioni decreti et aliis exinde necessitatibus, alia vero omnia derelinquebat eis agere, secundum quem voluissent modum: hæc transtulerunt curialium facultates ad alias et alias personas nihil exinde habente curia. Denique si quis dinumerat nostræ reipub. curias, attenuatas inveniet virorum, neque alias quidem, neque rerum copias habentes, aut paucorum forsam hominum, rerum autem nihil penitus. — § 2. Igitur olim per partes nos protulimus sanctiones, volentes et venditiones et donationes simplices et omnem actum alienationem habentem immobilium curialium rerum; subjacere decreto, cum observatione facta quæ in illa lege posita est. Deinde post hæc quia sub falsas causas faciebant donationes, et hoc omnino abrogavimus, donationem simplicem facere curialem in quacunque persona, excepimus autem competentem ante nuptias donationes, eo quod neque donationes omnino sunt, sed contractus species in eis inserta est, et filiorum procreandorum copiam introducunt, quod nobis et maxime in curialibus studii est, post hæc conspicientes de hoc ipso multas circumscriptiones fieri, legem conscripsimus, omnino debere curiam sive cum corpore, sive sine ipso, omnino tres uncias habere, et non minus licere cuidam relinquere curiæ, neque circumscribere, neque diminuere eas sub ullo modo, sive⁵ filius sit, qui in curia est, sive ipsa suscepit tres uncias curia. — § 3. Et non usque ad hoc stetimus, sed et feminas in propria institutione dare quandam partem sancimus, quatenus per nullam occasionem diminueretur curiæ (sicut prædiximus) quarta pars totius substantiæ curialis. Sed et multas istas et diffusas munificentias abrogavimus non concedentes liberari aliter curia, nisi per⁶ maximarum dignitatum acceptionem, patriciatum, aut consulatum, aut præfecturam, sive civilis, sive militaris: præfecturas autem esse et eas quæ principatum agunt exercitus, lex novit, itaque si quis præfecturæ dignitatem administraverit, in ipso actu constitutus, et sive administrans eam, sive principatum agens exercitus, curialis iste liberatur a conditione secundum nostram legem aliis omnibus exceptionibus abrogatis. Nam quæ propter solum honorem dantur tales dignitates, (præfectorias dicimus, idem autem est dicere et magistro militatus) non eximere curiæ albo eos qui hæc meruerunt, sancimus. Hæc itaque in anterioribus a nobis sancita sunt, cum aliis multis quæ licet ex ipsis olim positæ legibus advertere, ab solvimus autem et quosdam a curiæ conditione diversas his pragmaticas concedentes leges, quas omnes firmas esse volumus, et presentem sanctionem ab undecima indictione nuper de lapsa inchoare, ex qua nobis in consilio venit hæc lex. — § 4. Quoniam autem vidimus quosdam sic adversos esse contra proprias patrias, ut eligant potius aliis suas relinquere substantias, et vix quartam partem curiæ: et hoc per nostram legem existimavimus oportere, ubi filii desunt, hanc partem augere.

CAP. I.

Si igitur post hanc nostram legem defunctus fuerit curialis filios non

l. 11. pr. D. ad leg. Corn. de sicar. — 5. L. 3. C. de hæreticis. — 6. N. 151. c. 4. — 7. L. 15. pr. C. de sacros. eccles. — 8. N. 177. c. 7. in pr.

TIT. XVII. — 1. Lib. 50. D. 27. Lib. 10. C. 31. — 2. *Far.* l. ult. C. h. t. — 3. N. 138. c. 5. — 4. L. 3. C. de præditi. decur. — 5. L. 2. pr. C. quando et quib. quarta pars. — 6. L. ult. C. h. t.

habens neque masculos neque feminas, iste propriam substantiam curiæ derelinquat, quartam vero quibus voluerit, erit namque ei pro filio forsan uno vel pro plurimis tota curia, id est et totius civitatis plenitudo in filiorum modo existens, et fama bona perpetua, et immortalis memoria, et fructus tantus quantus nequaquam a filiis esset. Quod si quis legitimus filios non habuerit, naturales autem ei fuerint, liceat cum onere curiæ scribere sibi hos heredes, et scriptura pro omni datione sit, et non indigeat antiquarum legum aut aliis adjectionibus, neque dum adhuc superstes est datione, sed mox scripti, si quidem liberi fuerint curiales et heredes efficiantur, et habeant ipsi novem uncias substantiæ, secundum quod pater eis diviserit, quod si omnia ei relinquere voluerit, adhuc melius faciet, verumtamen usque ad novem uncias modis omnibus eis reliquat, cognoscens quia vel si reliquerit minus, a lege eis omnino usque ad novem uncias supplenda erit substantia: illi vero si quidem desideraverint [substantiam accipere] et curiales efficiantur: quod si quis voluerint, quidam autem recusaverint, ad eos qui elegerint, recusantium veniant partes, quod si omnes recusaverint, tunc tanquam si nullus filius sit, taliter ad curiam veniant novem uncias.

CAP. II.

Quod si ille quidem tacuerit, filiorum autem legitimorum ei procreatio non fuerit: tunc quarta pars ad heredes, qui sine scriptura sunt, veniat: naturales autem filii, si voluerint se offerre curiæ recipiantur, secundum quod voluerint, sive omnes sive quidam ex eis, modis omnibus novem uncias substantiæ ad eum qui curiæ se dedit, devolutis. Quod si ex ancilla ei progenerit fuerint, deinde ipse eos manumiserit, aut dum superest aut in testamento, et obtulerit eos, et isti suscipiantur et sint curiales, secundum quod testator voluerit, aut secundum quod desiderium eorum fecerit, dantium se curiæ, accepturi, secundum quod dictum est, novem uncias. Ubique enim volumus sive testatus fuerit, sive intestatus decesserit, eos qui ad curiam venerint, novem uncias accipere, quod si manumiserit quidem tantummodo, non tamen obtulerit, illi autem etiam taliter voluerunt, aut unus aut quidam ex eis ad curiam venire, et tunc novem uncias ei vel eis, qui in curia sunt, secundum virilem partem dentur. Quod si nullus naturalium voluerit, aut datus non fuerit, tunc novem uncias curia percipiat.

CAP. III.

Quod si legitimorum filiorum fuerit pater, tunc res decernenda est, utrum tantummodo masculi aut tantummodo feminæ, aut certe permixti sexus sint, quatenus lex undique perfectionem habeat et curiæ utilitatem. Si ergo masculi ei tantummodo fuerint filii, vel forsam nepotes masculi ex prædefuncto filio, novem⁷ uncias in omnes filios sicut voluerit dividat, sic tamen ut in nullo diminuat lex quæ de inofficiosis legitur testamentis, nisi forte ingratitudinis modus hoc fecerit: neque enim quæ in his posita sunt leges omnino destruiamus, illo omnimodo custodito, ut novem uncias inter non ingratos filios dividantur, et secundum hoc unusquisque subeat curiæ paternæ functionem, secundum quod eis pater diviserit substantiam tribus uncias tantummodo paternæ derelictis voluntati, ubi eas pervenire voluerit sive ad filium sive ad alium.

CAP. IV.

Quod si omnes feminæ nuptæ fuerint, siquidem ejusdem civitatis curialibus nuptæ fuerint, licentia erit patri, si quidem nuptæ fuerint (sicut dictum est) curialibus dividere inter eas omnem substantiam, aut certe novem uncias secundum quomodo voluerit, respiciens et hic legem quæ de successione sine scriptura disposuit. Quod si quædam ex eis nuptæ sunt curialibus, quædam vero non his, talibus quidem novem uncias omnimodo relinquuntur a patre curialium, uxoribus divise et hic secundum quod pater voluerit: residuum autem his quæ non curialibus propriæ patriæ nuptæ sunt, vel certe aliis, proculdubio legitima portione et eis omnino reservatis. Quod si necdum nuptæ sint, tunc sub tali definitione scribendum est de his aut quandam aut quasdam ex eis in novem uncias esse heredes, quatenus omnimodo nubant ejusdem civitatis curialibus. Quod si hoc noluerint, aut ipse quidem scripserit, ille vero non pertulerit, novem uncias quidem ad curiam civitatis veniant, tres autem uncias tantummodo inter omnes secundum quod lex vult, dividantur in modum deductis in rationem etiam dotibus earum.

CAP. V.

Quod si masculi et feminæ fuerint, masculi quidem omnimodo substantiam mediam habeant portionem: feminæ vero residuum mediam, non integram quidem, d. Lunt: namque ipsæ quartam partem curialibus fratribus, si tamen non fuerint curialium uxores omnes aut quædam ex

7. N. 138. c. 2; L. 3. C. quando et quib. quarta pars. — 8. *Abrog.* l. 29. C. h. t. ; l. 13. C. de munit. g.

eis: quod si ad tales pervenerint nuptias, et curialibus propriæ patriæ fuerint sociatæ: tunc liberabuntur a quarta parte, curiæ danda, utpote quæ videantur et ipsæ per viros suos, donec supersunt, esse participes functionum. Hæc nos sancire oportere existimavimus, non quo auferamus hominibus propriarum rerum dispensationem: sed ut civitatum non integre desolata curiæ remaneret, neque ad inventionibus quibusdam forsitan et impiis diminuerentur curiæ. Denique cognovimus quosdam interdictas lege contrahere nuptias, ut ex hoc non legitimi sed naturales filii procreentur, et ipsis revera utpote extraneis, relinquere, et sic defraudare curiam debita facultate.

CAP. VI.

Sed et illud etiam ex ipso reperimus experimento, quod adversus curiam sint multi quasi dicentes, aut sacri ærarii aut vicaneæ, aut purpurariæ, aut aliterius cujuscuque conditionis esse alterum parentem curialibus: et tentant adjudicare seipsos vel sacri ærarii, vel vicaneæ, vel purpurariæ, aut aliis quibuscuque conditionibus et curiam evitare. Sancimus itaque nullam esse talem artem adversus publicum. Sed omnino sive ex sacri ærarii matre, sive ex purpuraria, sive ex vicaneæ nati fuerint filii curiali, curialem⁸ conditionem obtinere volumus. Curiales enim pauciores sunt ubique locorum nostræ reipublicæ: sacri vero ærarii et vicaneæ et purpurarii in multitudinem effusi, constituti sunt: et congruens est magis amplificare curias civitatum in paucis corporibus angustatis, quam multitudinem sacri ærarii vel purpurariæ aut vicaneæ conditionis sit, se subtrahere a curiæ conditione tentaverunt, vel tentaverint a nuper præterita *decima indictione* et ipsa et ea quæ secundum hunc acta sunt modum, sive a nostra aula, sive aliunde vacua et invalida sint, et hos tales curiales de cætero esse sancimus: nam si quid actum est ante decimam indictionem, hoc firmum et in sua fortitudine permanere volumus.

EXCEPTIO.

Excipimus autem ab hac nostra divina constitutione Theodosium et ejus fratres, et filios Joannis qui cognomen habuit Xescon: qui in sacri ærarii conditione permanserunt, licet decurialibus essent patribus ante decimam indictionem, et omne quiddid actum est in eorum liberatione destruiamus. Nihil enim eorum quæ licuerunt frui volumus, sed curiales esse et quæ curialium sunt agere, et ad functiones curiales respicere, nihil sicut prælocuti sumus eis prodesse possibile, sed et si quid elicium est eis sive ex nostro palatio sive aliunde.

EPILOGUS.

Quæ igitur visa sunt nobis et ad utilitatem civitatum et curiarum complacuerunt, et quæ per hanc indicantur legem, tua excellentia et custodire et operi tradere festinet, imminente pena *xx librarum auri* adversus eum, qui hanc legem nostram prævaricari presumpserit. — Dat. 15 kal. Mart. Constantinop. Indictione undecima, post consulatum Basilii anno septimo.

TIT. XVIII.

DE RESTITUTIONIBUS¹, ET EA QUÆ PARIT UNDECIMO MENSE POST MORTEM VIRI.

NOVELLA CONSTIT. XXXIX.

Imp. Justin. Aug. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patrio.

PREFATIO.

Decursio et varitas humanæ naturæ paulatim egens curatione, non aliter ad bene se habendum revocatur: (licet prima ejus gubernentur principia) nisi etiam quod particulariter ei resistit, corrigatur, sicut constituitur sub tranquillitate et quiete, ut legi conveniens est: quæ scilicet quiddam etiam nunc emergens, ad legis nos opus adduxit. Scimus enim quod etiam dudum de restitutionibus dubitabatur: et si contigisset quasdam hypothecas obligari ejus qui restitutione gravabatur, plurimæ conditionis erat negotium, sive oporteret etiam res quæ restitui jussæ fuerant, periculum pati, sive solas ejus, qui gravabatur restitutione: et multa quædam erat etiam circa ipsam verborum differentiam questio: utrum defunctus præcepisset res quæ manerent post mortem ejus qui gravabatur restitutione oportere restitui: an absolute restitui quod relictum

TIT. XVIII. — 1. *Adde* N. 103